

dē sanctos *Christi* discipulos aliunde potestatem suam quam à *Petro* accepisse. (§. LXXXII.) Ut ne tamen, quam repudiant, consecutionem invitis obrudam, ajo, omnibus his *Patrum* testimoniis plus non posse confici, quam apostolatus æque ac episcopatus instituendi initium in *Petro* factum esse, seu ut *Syricius P.* (1) scribit: *Per Petrum et apostolatus et episcopatus in Christo cœpisse exordium*; et *Cæsarius Arelatensis* in epistola ad *Symmachum*: *A persona beati Petri Apostoli episcopatum sumpsisse initium*. Quod quidem et verum est, et interpretationem efficit perspicuam ejus, quod ait *Innocentius*: *A Petro episcopatum omnemque auctoritatem ejus nominis emersisse* (2); nempe tunc, quando *Christus* illi personam *Ecclesiæ* gestanti claves regni cœlorum pollicitus est. Non enim ut præcipua ad *Petrum*, ita ad eum solum hæc promissio, verum ad omnes etiam reliquos *Christi* discipulos horumque in regenda *Ecclesia* successores pertinebat, *Augustino* docente (3): *Quum omnes essent interrogati, solus Petrus respondit: Tu es Christus: et ei dicitur: Tibi dabo claves: Cum et illud unus pro omnibus dixerit, et hoc cum omnibus tamquam personam gerens unitatis accepit*. Unde fit, ut quum *Optatus solum*, docet, *Petrum accepisse claves ceteris communicandas*, et per *Petrum* *Episcopis* datas cœlestium bonorum claves *Gregorius Nyssenus*: non is sit horum verborum sensus, quasi vel *Apostoli* auctoritatem suam à *Petro*, vel *Episcopi* à summo Pontifice habeant, quod utrumque traditioni adversum est (§. LXXXVI.); sed quod, ut *Ambrosius* explicite docet, dominicum gregem non solum tunc *beatus Petrus*, verum et *Apostoli*, et universum pastorum collegium, consensione tamen et charitate indivulsa cum capite suo, in quo comprehensi et

(1) *Epist. 5.*(2) *Rautenstr. §. 406.*(3) *Tract. 118. in Joann.*

quasi complicati omnes erant, quando divina illum hac potestate ornavit *Christus*, pascendum susceperint (§. LXXXIV.).

SCHOL. Elegantissimus in rem meam est Leonis M. locus in epist. 14. * *Connexio totius corporis unam sanitatem, unam pulchritudinem facit. Et hæc connexio totius quidem corporis unanimatem requirit, sed præcipue exigit concordiam sacerdotum. Quibus etsi dignitas sit communis, non est tamen ordo generalis: quoniam et inter beatissimos Apostolos in similitudine honoris fuit quedam discretio potestatis; et quum omnium par esset electio, uni tamen datum est, ut ceteris præmineret. De qua forma Episcoporum quoque est orta distinctio, et magna ordinatione provisum est, ne omnes sibi omnia vindicarent, sed essent in singulis provinciis singuli, quorum inter fratres haberetur prima sententia; et rursus quidam in majoribus urbibus constituti sollicitudinem susciperent ampliolem, per quos ad unam Petri sedem universalis Ecclesiæ cura conflueret, et nihil usquam à suo capite dissideret. Cujus unitatis conservationem à Domino per Apostolos omnibus Episcopis traditam Cyprianus commendat in epistola ad Cornelium P. his verbis: Hoc vel maxime, frater, et laboramus et laborare debemus, ut unitatem à Domino et per Apostolos nobis successoribus traditam, quantum possumus, obtinere curemus. Conf. Lud. Thomassinus de veter. et nov. eccles. discipl. part. 1. lib. 1. cap. 50.*

§. LXXXIX.

Episcopi potestatem suam quando adipiscuntur.

Quærit autem porro *Zacharia*, ne sola pugnet

* Editionis *Balleriniorum*, quorum lectionem sequuti sumus. Videantur ad hunc locum.

auctoritate, quandonam velimus Episcopos à Christo jurisdictionis potestate donari. *An in consecratione? at tum potestas quidem ordinis confertur, inquit, non jurisdictionis, quam ab electis et confirmatis Episcopis, licet non consecratis jure exerceri posse, superiore capite vidimus (1). Nisi forte adversarii velint tributam prius jurisdictionem iterum in consecratione conferri, quod inane figmentum esset ad declinandum, si fieri posset, hujus vim argumenti solummodo excogitatum :::: Aut quum eligitur quis et confirmatur in Episcopum, designari personam, cui Deus jurisdictionem ante episcopalem consecrationem impertiatur, quæ opinatio viam aperit absurdis figmentis (2). Verum nihil his tot figmentis opus est. Ajo itaque, in consecratione potestate non tantum ordinis, sed et jurisdictionis Episcopos à Christo immediate donari. Leve enim est, et ex disciplina sumptum junioris ætatis (3), quod jurisdictionem Episcopi licet nondum consecrati jure exercent confirmata electione. Vetus Ecclesia confirmationem non sejungebat à consecratione (4): munus fungi jurisdictionis episcopalis, qui ordinem nondum esset adeptus, patiebatur neminem (5); non ignara scilicet, potestatem episcopalem, tametsi ad varia et multiplicia officia pertinentem, unam tamen esse, indivisam ac perfectam à Christo institutam, ut divelli in partes ac scindi non possit. Proinde jurisdictionis, quam per confirmationem indipisci hodie dicuntur Episcopi, non est jurisdictionis episcopali ordini à Christo ipso adnexa et hierarchica, quam sola tribuit consecratio, sed vicaria quædam et administrativa, qualem ipsa indicat confirmationis formula *Espenio* descripta in *jur. eccles. part. 1. tit. 14. cap. 4. §. 11.**

(1) *Anti-Febr. vindic. part. 1. diss. 3. cap. 1*

(2) *Cap. 2. §. 4.*

(3) *Cap. 15. de elect.*

(4) *Espen part. 1. tit. 15. cap. 11.*

(5) *Espen loc. cit. cap. 4.*

SCHOL. At si jurisdictionis, inquires, divino jure adnexa est ordini episcopali, consequens est, ut et Episcopi titulares jurisdictionem habeant; ut jurisdictionis Episcoporum restringi, adimi, ampliari non possit; ut ea privati valide tamen peragant omnia, perinde ac valide ordine suo funguntur. Hæc autem cuncta tam falsa sunt quam à canonibus Ecclesiæ aliena. Ita est profecto: sed tu vide sis *Petr. Colletum prælect. theolog. tom. 7. part. 2. tract. de ordin. cap. 4. pag. m. 354. seqq.* *Rauttens-trauch. Inst. jur. publ. eccles. §. 408. seqq.* et alios passim Theologos recentiores, Gallos præcipue, et Jurisconsultos Germaniæ.

§. XC.

An inter se quoad potestatem episcopalem differant?

Ita vero sequatur necesse est, inquit *Bellarminus*, ut Episcopi, sicut ordo est idem omnium, ita etiam jurisdictionis æqualem omnes potestatem acceperint, eamque non certis diocesium limitibus circumscriptam, sed per universam Ecclesiam pertinentem, qualis *Apostolorum* fuit, quorum illi locum obtinent. Atqui hoc ita est profecto. Æqualem omnibus Episcopis à Christo datam fuisse potestatem, sicut æqualis (salva Petri prærogativa) data fuit *Apostolis* sanctorum Patrum testatissima doctrina est (1), quam post *Nic. de Cusa, Franc. de Victoria, Dom. Sotum, Card. Bellarminum* ipsum, aliosque veteres Theologos vehementer probant *Petr. de Marca* (2) et *Lud. Thomassinus* multis in locis apertissime. Ut paci mutux et populorum saluti consuleretur, amplitudo hæc potestatis ad dioceses singulas canonibus coarctata est quidem; verum *etsi*, inquit *Epiphanius* (3),

(1) *Vid. caus. 24. quæst. 1. can. 18.*

(2) *De sing. prim. Petr. §. 4.*

(3) *In epist. ad Joann. Hierosolym.*

singuli ecclesiarum Episcopi habent sub se ecclesias, quibus curam videntur impendere, et nemo super alienam mensuram extenditur; tamen præponitur omnibus charitas Christi, in qua nulla simulatio est. Rationem Cyprianus dabit in Epistola ad Stephanum (1), copiosum corpus est Sacerdotum, ajens, concordie mutue glutine, atque unitatis vinculo copulatum, ut si quis ex collegio nostro hæresim facere, et gregem Christi lacerare et vastare tentaverit, subveniant ceteri::: Nam etsi pastores multi sumus, unum tamen gregem pascimus, et oves universas, quas Christus sanguine suo et passione quæsiuit, colligere et fovere debemus. Quocirca apte unum esse episcopatum dicebat (2), cujus à singulis in solidum pars tenetur. Neque est, quod sibi de primatu metuat Bellarminus, quasi cum jurisdictione Episcoporum immediate à Christo accepta cohærere non possit: quam vanam suspicionem jam olim tertio Ecclesie sæculo proscrispsit S. Cyprianus.

SCHOL. In eodem de unitate libro, dum sic ait: Loquitur Dominus ad Petrum: super hanc petram::: Tibi dabo claves::: Et quamvis Apostolis omnibus post resurrectionem suam parem potestatem tribuat, et dicat: Sicut misit me Pater, et ego mitto vos, accipite Spiritum Sanctum, si cui remiseritis peccata::: tamen ut unitatem manifestaret, unitatis ejusdem originem ab uno incipientem sua auctoritate disposuit. Hoc erant utique et ceteri Apostoli, quod fuit Petrus, pari consortio præditi et honoris et potestatis: sed exordium ab unitate profiscitur, ut Ecclesia una monstretur. Conf. Gasp. Juenin. in comment. de sacram. diss. 9. quæst. 1. art. 3.

- (1) Edit. Baluz. 67.
(2) Lib. de unit. Ecclesie.

§. XCI.

Subjectum immediatum imperii sacri quodnam est?

Enimvero honoris istud auctoritatisque par consortium nihil impedit eam potestatis discretionem, quæ existit ex primatu: (§. LXXXVIII.) cujus quidem vis hæc est, ut etsi suam singuli Episcopi à Christo potestatem habeant immediate, eamque in parte dominici gregis sibi à Spiritu Sancto commissa in solidum exerceant; (§. XC.) cum quadam tamen ad primatum subordinatione, et in ea, quæ est catholicæ Ecclesie propria, (§. XII. XIII.) tum inter sese, tum etiam cum visibili corporis totius capite sancta communionem exercere debeant (1). Hoc enim est, quod S. Hieronymus ex æquo super omnes Apostolos Ecclesie fortitudinem solidari ajebat (2); unum tamen inter duodecim electum fuisse, ut schismatis tolleretur occasio: seu ut, quod Optatus scribit (3), in una cathedra Petri unitas ab omnibus servaretur, ne ceteri Apostoli singulas sibi quisque defenderent, ut jam schismaticus et peccator esset, qui contra singularem cathedram alteram collocaret. Atque hoc ipsum Episcoporum univsum corpus per fidem et charitatem in suo capite conjunctum, ea est unitas, cui à Domino imperium à Patre sibi creditum immediate collatum fuisse Augustinus præ ceteris luculentius adseruit: Has claves, inquit, non homo unus, sed unitas accepit Ecclesie. Hinc ergo Petri excellentia prædicatur, quia ipsius universitatis et unitatis Ecclesie figuram gessit, quando ei dictum est, tibi trado, quod omnibus traditum est. Et alibi: Non enim sine causa inter omnes Apostolos hujus Ecclesie

- (1) De Marca, de sing. Prim. Petr. §. 5. seqq.
(2) Lib. 1. adv. Jovin. n. 26.
(3) Lib. 2. schism. Donat. contr. Parm.

catholica personam sustinet Petrus. Huic enim Ecclesiae claves regni caelorum datae sunt, quum Petro datae sunt. Et quum ei dicitur, ad omnes dicitur, amas me? pasce oves meas (1). Similia sunt alia his adeo multa ab eodem dicta sancto Doctore, adeo constanter, ut Natalis Alexander inconcussum manere principium illud ex S. Scriptura et traditione acceptum, et à S. Augustino aperte, frequenter, perseveranter traditum, et inculcatum claves toti Ecclesiae à Christo datas immediate ipsi collatas à sponso auctoritatem ligandi et solvendi, potestatem jurisdictionis in tota universitate Ecclesiae principaliter residere scripserit.

SCHOL. In Hist. eccles. saec. XV. et XVI. diss. 8. art. 3. §. 53. à quo non dissentiant Habertus et Tournelius, quorum ille part. 2. de hierarch. eccles. cap. 5. §. 5. quæst. 2. scripserat: *Potestas clavium data est Ecclesiae, hoc est, Pontifici et Episcopis, et his quidem cum subordinatione ad Pontificem Petri successorem.* Hic vero de Eccles. quæst. 5. art. 2. *Datae sunt etiam immediate unitati, id est, omnibus Apostolis eorumque successoribus Episcopis.* Ad hanc sententiam accesserunt novissime viri clar. Schrodt. Inst. jur. canon. lib. 1. tit. 33. §. 749. et Rauttenstrauch Inst. jur. publ. ecclès. §. 1. et 76. Monet autem uterque differre hanc, quam amplexi sunt, doctrinam ab ea, quæ Edm. Richeri esse dicitur in libello de Eccles. et polit. potestate tradita, ut qui Ecclesiam sumpserit, ait Schrodt, *pro tota multitudine fidelium*, cui jurisdictionem ecclesiasticam proprie atque essentialiter competere docuit. Eadem repetit Rauttenstrauch. Richerii manes nolim ego vindicare, sed hoc tamen, quod de Richerio hic dicitur, quam

(1) De agone christiano n. 32. Insignis præterea locus est serm. 149. alias 26. de divers. ubi S. Doctor pro in dubitato habet accepisse à Domino claves Paulum, Joannem, Jacobum, ceterosque Apostolos. Et concludit: *Quod uni Petro datum est, Ecclesiae datum est.*

absit non à mente tantum, verum etiam ab eo ipso libello, sciunt omnes, qui eum legerunt. Ipse jam questus est Richerius nec uno loco adfixisse sibi Vallium eam doctrinam, tamquam si docuisset, *claves datas etiam laicis, bajulis et cerdonibus.* Quam alienus ab hac doctrina vir ille fuerit, ipsa docere potest inscriptio capituli secundi, quæ hæc est: *Christus immediate et per se claves sive jurisdictionem ordini hierarchico contulit per immediatam et realem missionem omnium Apostolorum atque discipulorum, pag. 3.* Hoc autem quid aliud significare potest, quam quod ait Schrodtius, se Ecclesiam intelligere regitivam, quæ in Apostolis et Episcopis collective sumptis spectatur? quod quidem multo etiam lucidius apparet ex iis quæ scripsit pag. 4. in hæc verba: *Quando igitur missio vera et realis est collatio jurisdictionis auctore Apostolo::: Christus autem omnes Apostolos atque discipulos, qui episcopalem et presbyteralem ordinem referebant, immediate, individue et collective misit, sicut à Patre suo, id est cum justa et spirituali auctoritate ad regendam Ecclesiam necessaria, missus fuerat: consurgit, totum ordinem hierarchicum, episcopali et sacerdotali ordine constantem, immediate, proportionate tamen atque subordinate, suam potestatem et jurisdictionem, hoc est facultatem regendi Ecclesiam à Christo derivare.* Haud minus vel obscura sunt vel ambigua, quæ habet in fine demonstrationis secundi capituli, pag. 20. *Summa hujus disputationis est, ordinem hierarchicum collective sumptum claves cum sacerdotio Christi immediate habere à Domino.* Egone vero, quum hæc tam perspicue à Richerio tradita lego, mihi à quoquam sinam persuaderi, Ecclesiae nomine ab illo non Ecclesiam regentem, quæ ex Apostolis et Episcopis collectivè sumptis constituitur, sed universam fidelium multitudinem acceptam fuisse? ne, si Petavii quidem hoc testetur.

§. XCII.

Quæ forma imperii sacri?

Atque hinc æstimare nobis licet, opinor, quam ex iis, quæ nuper expositæ sunt, (§. LXXXI.) impe-
randi formis ecclesiasticum regimen proxime referat.
Nam quum huic *Christus* non solum summum Pontificem,
tametsi ampla quadam atque eminenti auctoritate præ-
ditum, (§. XXIII.) verum Episcopos etiam præfecerit
immediate ornatos potestate, subordinata illa quidem, et
intra diocesium limites reducta, propria tamen et or-
dinaria: (§. LXXXVIII.) planissimum est, Ecclesiæ
christianæ regimen nec *pure esse aristocraticum*, in quo
primatus sacri potestas præter modum ac rationem de-
primitur; nec *absolute monarchicum*, quippe quod et cum
ordinaria ac propria Episcoporum divino jure competen-
te auctoritate non cohæret, et praxi apostolicæ, multo-
rumque sæculorum notissimæ cunctis observantiæ per-
spicue adversatur; sed esse *monarchicum aristocratice
temperatum*, in quo primatialis dignitas ad conservan-
dam unitatem divinitus instituta ita eminent, totiusque
Ecclesiæ saluti curam ita impendit, ut de potestate ac
dignitate Episcopis omnibus ac singulis à *Christo* in
solidum commissa nihil penitus detrahatur.

SCHOL. I. Conf. Petrus de Marca *in dissert. de
discrim. cleric. et laicor.* Nec si quis in rebus publi-
cis gubernandis optimam contendat perfectissimamque
regiminis formam absolute monarchicam, eandem ego
continuo cum Card. Orsio ad ecclesiasticam societatem
transtulerim: non ob hoc tantum, quod alia civita-
tum, alia sit Ecclesiæ christianæ ratio: verum etiam
quod hæc res omnis non tam ex philosophiæ humanæ
placitis, ut ait doctissimus Rauttenstrauch. (§. LXXXII.)
quam ex una Christi ceu institutoris Ecclesiæ suæ

voluntate metienda sit. Quæ quidem cujusmodi fuerit,
non ex iis tantum liquet, quæ adhuc dicta sunt copiose,
sed et in primis ex usu primitivæ Ecclesiæ tamquam vo-
luntatis illius divinæ interprete omnium gravissimo. De
quo vide Tournelium *tom. 1. curs. theolog. pag. 544.*
Rauttenstrauch. *loc. cit. §. 83. seqq.*

SCHOL. II. Aristocratia vero, an monarchia præ-
valeat, si quis rogat, et si recte moneat laudatissimus
Rauttenstrauch, nihil esse necesse omnia ad scholasti-
cum loquendi modulum tam anxie exigere; neque ve-
ro rerum publicarum quidquam intersit, utro modo res
suas agant Prælati Ecclesiarum, modo suos se intra li-
mites contineant: tamen si quis prima Ecclesiæ tempo-
ra cum iis comparet, quæ Gregorio VII. P. posteriora
sunt, animadvertet is, opinor, temperatius olim multo,
quam post deinde sacram Ecclesiæ monarchiam adminis-
tratam fuisse. Conf. Joa. Mod. Pichler *systema regimi-
nis ex Christi institutione §. 14. pag. 45.*

*De summo potestate, que in
Christianorum cœtu præsideat, sacra et civilis (§. 14.)
LXXVII. LXXIX.) De illa divina sectione sub-
notæ. Rursus aliter nos nobis loco curatæ evolventes.
Christi nomine etiam intelligi hominem in jure ma-
jorem, que in cœtu imperii in vana
collocatæ sunt. Illa in cœtu
est in imperio, et in cœtu
comparatæ sunt. Illa in cœtu
videtur: quod in cœtu
que in imperio civilis in cœtu
tate majestas comparatæ sunt.
Sunt. De summo potestate in cœtu
ad hunc pro divinitus exponere, nec in hunc locum
conditum est. Habet hæc disciplina majestatem suam
quibus qui volent (velle autem debent omnes, qui in
les se olim partem civis præstare cupiant) eam dicit.*